

illa Romani Imperii penitus immutata sit, nec Majestas amplius resideat penes quem antea fuit, hinc & Jurisdictionis natura aliter ac olim explicari debeat. Quis enim ignorat Carolum Magnum Imperatoresque Romanos multos in Imperii consortium adscivisse quidem magistratus, sed hos duntaxat ad solam vel urbis, vel provinciarum rerumque ad illas pertinentium administrationem cum precaria & temporanea potestate Jurisdicendi adhibuisse: Quod vergente Caroli Magni proseropia quum Francorum Regum auctoritas magis magisque invilesceret posterioribus Imperatoribus postmodum aliter placuit, quippe qui magistratus à se creatos alio modo admiserunt in imperii consortium adsignatis ipsis provinciis quas jure fermè eodem haberent quo Imperator haberet eas quas sibi retinuerat.

Thef. XV.

Quid ver multis opus est verbis? In omni Republica quæ proprio imperio regitur esse oportet qui jus in universo statutum partibus applicet, seu jus reddat singulis, atque hanc constituti Juris singulis reddendi potestatem Jurisdictionem appello, quæ nihil aliud hoc loco est quam potestas administrandæ justitiæ, quæ cum in omni Republica sit necessaria experiar quod nam sit ejus primum & adæquatum subjectum, id est, in quo hæc potestas essentialiter ac primò consistat; ut igitur hæc potestates est in omni Republica perpetua & ut dixi necessaria, perpetuum quoque desiderat subjectum & essentialic, tale vero subjectum non possunt esse magistratus inferiores quia possunt abesse à Republica, ac quatenus sunt tales habent potestatem precariò à Majestatis arbitrio dependentem, sed tantum superiores imperantes, seu Principes; primò enim populus Campanus se, urbem Capuam, agros, delubra Deum, divina humanaque, omnia